DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Tommaso Ruffo, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro
CLEMENTI XII.
PONTIFICI MAXIMO

COMMENDATOR F. THOMAS RUFFUS

FELICITATEM.

OMNIA, *quæ Dei ſunt, vel ad Deum proxime pertinent, tua propemodum eſſe,* BEATISSIME PATER, *& ad Te maxime pertinere ſuadebant mi-*

hi, cum vicaria ejus, quam ſuſtines, in terris poteſtas, tum proxima ab eo dignitas, qua ampliſſime ornaris. Quare, quam de Auguſtiſſima TRINITATE *orationem habui, ut inſcriberem Tibi, & ſiſterem, argumentum ipſum hortabatur, & quæcumque ea foret, ex illo certe tuam eſſe ſum arbitratus. Adjecit animos, ut Te adirem ſingularis humanitas tua, qua ſingulos adeo benigne complecteris, ut, licet graviſſimis religionis, & reipublicæ negotiis interſis, & conſulas, non ita tamen ab iis diſtinearis, ut unquam ad Te fuerit privatorum aditus intercluſus. Lætetur igitur ſuo jure quiſque, cujus cu-*


ras

Digitized by Google

ras non deſpicis. Lætetur Roma quam magnifice exornas, & publicis monumentis amplificas. Lætentur omnes gentes tuam expertæ incredibilem, & omnibus ſæculis deprædicandam beneficentiam. Ego vero precor ab Deo optimo maximo, ut, quas Eccleſiæ regimini præfecit, virtutes tuas diu tueatur, & excitatas difficillimis hiſce temporibus procellas per Te unum ita compeſcat, ut, quali gaudet felicitate Roma Te principe, pari tuis conſiliis fruatur tranquillitate, qua maxime videtur indigere, univerſa Chriſtiana Reſpublica.

Digitized by Google

Digitized by Google



ORATIO.

QUAMQUAM Religionis ſtudium, & obſequium Divinitatis provida hominum mentibus natura inſculpſerit, ut vix inter Ethnicos fuerit, qui omnis penitus rationis ignarus, atque expers Deum eſſe negarit: inter eos tamen, qui aliquam ſapientiæ laudem videntur aſſecuti, nemo melius de divina natura, & poteſtate ſenſit, quam qui de illa timide, & pauca dicenda eſſe fatebatur. Quo ſatis prudenti conſilio, neque alio magis utendum mihi eſſe arbitrarer, niſi me de illis tenebris in admirabile lumen ſuum evocaſſet Auguſtiſſima TRINITAS, & rationis im- *1. Petri 2.*

be-

becillitatem certiſſimæ fidei ope, atque præſidio erigeret, & confirmaret. Dicam igitur præclariſſima hac die, quoniam de ineffabili Myſterio data mihi dicendi facultas eſt; dicam laudes Deo optimo maximo, quod nos primum dignos effecerit, qui de ejus Trinitate idonea, & apta cogitaremus; deinde, qui præviam in hujuſmodi cogitatione, & quantum liceret homini, haberemus felicitatem; dignos demum, qui cæleſtem illam Hieruſalem, divinis laudibus exultantem, per fidem quodammodo imitaremur.

Ac primum, ut ex revelatione Trinitatis religionis noſtræ dignitas agnoſcatur: fuerint quidem in veteri lege electiſſimis ex univerſo populo Patribus, & Prophetis Trinitatis Perſonæ per ſimilitudines ſignificatæ; nondum tamen ex ipſo Sapientiæ ore Patris imaginem referentis plane, & aperte ſatis
Gen. ſ. 18. 1. Myſterium enunciabatur. Tres viderit Abraham, & Unum adoraverit; tergeminas ſan-
Iſa. 6. 3. ctitatis voces audierit Iſaias; cecinerit regius
Pſ. 32. 6. Vates Verbo Domini cælos eſſe firmatos, & Spiritu oris ejus omnem virtutem eorum: adhuc tamen cæli non ita fuerant adaperti,
Mat. 3. 16. ut Spiritus Dei ſuper Filium hominis, ſicut columba deſcenderet: neque ea vox de cælis fuerat exaudita, hic eſt Filius meus dilectus,

in

in quo mihi complacui. Noſtrum ſane eſt, atque hujus Religionis, cujus dignitas, & regale Sacerdotium obverſatur mihi ante oculos, ab ſalutari Jordanis unda penitus ablui; & hujuſmodi Fidei fontem haurire, quo, qui ſemel imbutus eſt, in certiſſimam ſpem videtur adductus, ut ab ubertate domus Dei aliquando inebrietur. Quid igitur vel pro noſtra infirmitate ſapientius, aut clementius pro ſua benignitate ageret erga nos Trinus, atque Unicus Deus, quam ut ea Fidei noſtræ committeret, & commendaret, quæ ratione attingere nullo modo poteramus? *1. Pet. 2.* *Pſ. 35.*

At quid; ſi cum digna, & apta de Deo cogitamus, præoccupata felicitas deguſtatur? Non enim in hujuſmodi cogitatione, quemadmodum in cognitione eorum, quæ ſub ſole fiunt, labor ſterilis, & inanis mentis cura deprehenditur, ſed, qui capi maximus poteſt, fructus capitur, & cor quærentium Dominum voluptatis illius torrente potatur. Intelligit ſemetipſum Pater, & generat Filium. In hac autem divini Intellectus fœcunditate tanta ineſt divitiarum altitudo; tantus divinarum virtutum conſenſus, ut, etiamſi nihil Patre majus, nihil perfectius meditari fas ſit, totum tamen Filius in *Eccl. 70.* *Pſ. 31.* *Baſil. hom. 6.*

ſe

ſe ipſo Genitorem oſtendat. Dum verò eum increato amore diligit Genitor, a quo diligitur, procedit Spiritus Sanctus. Hæc ſiquidem ſanctiſſima illa Perſonarum Trinitas, ſimilis ſibi ipſi, atque indiviſa Natura, cujus faciem quærimus, & confirmamur. Hic ille Deus eſt, cujus gloriam ſpeculantes a claritate in claritatem in eamdem imaginem transformamur, tanquam a Domini ſpiritu. Hæc extrema illa beatitudo, & felicitas, qua etiam nunc eo magis animus noſter afficitur; quanto magis Deum in ipſis ſuis cogitationibus concipit, a cujus facie concipere debet, & parere ſpiritum ſalutis.

Athan. epiſ. ad Serap.

2. ad Corint. 3.

Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei.

Dolebat aliquando Jacob, quod poſt illam, quam ſeptem annorum ſervierat, ſervitutem, non ea daretur ſibi, quæ fuerat deſponſa, ſed, quæ eſſet natu major, alia ſupponeretur. Prohibebat ſcilicet, ne voti fieret compos, mos regionis, & loci illius conſuetudo. Deſponſus eſt jam inde a principio claræ illi, & perfectæ Dei cognitioni animus noſter, ſed natu major eſt fides. Quare eam, quamvis obductis oculis ſit, decet præire: quoniam æternæ illius patriæ mos eſt, niſi illa præceſſerit, ut neque Auguſtiſſimæ Trinitatis facies ſubſequatur. Quid igitur reliquum nobis eſt, nam permanentem

Geneſis 29.

Digitized by Google